
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>





PVERILES
CONFABVLATI
VNCVLAE AVTORE
Eualdo Gallo.

*LIBELLVS LECTV
dignissimus nunc recens emen-
datius in lucem editus.*



COLONIAE,
Ex Officina, Petri Horst.
Anno Salutis, 1584.

EVALDVVS GALI

LVS LECTORI FOE-

licitatem.



IS scire candidè Lector, quibus ista scripserimus? Balbutienti pueritia. Eam nos qualicumque opera iuuare studuimus. At ha nuga sunt, inquis, pra colloquijs, qua magnus scripsit Erasmus. Quis negat? Verùm enim uerò v̄t illa quidem censeo digna, qua etiam grandior at as terat: ita aestimo litteraria militia tyromibus hac nostra praludia non malè conuenire. Potuere plures ad eundem modum consingi Dialogi: verum ego sic censeo, in hisce lusibus sportere modum adesse, vs grauioribus studijs deinceps sit locus. Dixi Lector, quod volui. Viue & vale: Ex Vveert.

Anno XLV III. Mense

Octob. Die XXI.

(:)

GENERALIS SALVO

TATIO QUOCUNQUE

tempore.

Salve.

Sis salutis.

Iubeo te salutare.

} Gott grutz euch

Aue.

Ad multos loquimur pluraliter.

R E S P O N S I O.

Habeo tibi gratiam.

Habetur tibi à me gratia.

Salve tu quoque.

Et tu.

} Gott lenne euch

In discessu quocunque tempore.

Vale.

Vale feliciter.

Bene vale.

} Gott behoede euch.

R E S P O N S I O.

Vale tu quoque: Gott bevuare euch.

Mane sic salutamus.

Bonum mane: Goeden morgen

Interdiu sic.

Bonus dies: Goeden dach.

Vesperis sic.

Bonus vesper.

Bonum serum.

} Goeden auent.

Sub

PVERILES

Sub noctem sic.

Precor tibi felicem noctem.

Sit tibi hæc nox fausta.

Gott geue vch guten nacht.

Sternutanti dicitur.

Sit saluum.

Sit felix.

Profit.

} *Gott gefegene euch.*

Faciendi operis aliquid.

Profice. *Gott fordere euch.*

Prudenti cœnantius.

Sit felix conuiuium.

Gott gefegene euch die malt zit.

Quando præbabitur alicui.

Præbibo tibi totum poculum.

Propina tibi dimidiatum cyathum.

R E S P O N S I O.

Accipio libenter. *Ich habsgern.*

Sit saluti. *Vual bekemps euch.*

• *Quando recusamus cibum vel potum.*

Non possum hercle tantum potare.

Certe non valeo tibi respondere.

Quæso te vt mihi parcas.

Non mihi libet amplius comesse.

Equidem comedi, quantum satis est.

Satisfactum est appetitui.

Hoc tempore nihil vltra requiro.

Peregrè redeunti dicitur.

Gra.

CONFABULAT.

Gratulor tibi aduentum.

Saluum te venire gaudeo.

Gaudeo te redijisse incolumem.

Ich heiff euch vvilckom.

COMMVNIS RESPONSIO.

Benignus es.

Gratia tibi.

Dij tibi benefaciant.

} *Gott danck euch.*

Quando cereuisia aut vinum infertur mensa.

Cereuisia hæc sit vobis bono.

Precor vt hæc cereuisia vobis profsit.

Gott gesegene das bier.

Vinum, quod porto, sit vobis saluti.

Faxit Deus, vt sit vobis hoc vinum salutare.

Gott gesegene euch der herren vvein.

*Quando vocatur aliquis ad prandium
vel cœnam.*

**Pater me misit huc rogatum te. vt hodie velis
eius esse conuiua.**

**Herus te magnopere iussit orare, vt apud se ve-
lis prandere hodie.**

**Rogat te meus hospes, præceptor obseruande,
si non alio vocatus, vt cœnatum ad se venias
vesperi.**

**Parentes mei vocauerunt amicos aliquot ad
cœnam, his te cupiunt adesse, qua re mirum
in modum gratificaberis illis, si non recuses
venire.**

PVERILES

Tum sic respondere licebit.

**Ego patri tuo mi fili, magnam habeo gratiam.
Verum ob aduersam valetudinem non valeo
vlli conuiuio interesse.**

**Tu vicissim hero tuo nomine meo magnas a-
ges gratias: verum hoc tempore dices me non
posse venire.**

**Haud paterer me rogari, si non me detinerent
alia negotia.**

**Non abnuo, praesertim cum nihil hic paratum
esse videam.**

**Renuncia parentibus tuis, me confestim esse
venturum.**

Quando excipitur conuiua.

Gratus est mihi tuus aduentus.

Gratum est mihi, quod veneris.

Optato aduenis.

Quomodo petenda venia.

Magister da mihi veniam quaeso.

**Præceptor obseruande, fac mihi quaeso pote-
statem.**

Vt purgem aluum.

Vt exonerem ventrem.

Vt eam ad secessum.

Vt vadam miæctum.

Vt leuem vesicam.

Vt educam vaccas.

Vt reducam vaccas.

Vt sacrificanti ministrem sacerdoti.

Vt

CONFABULAT.

Vt eam domum.

Vt afferam papyrum, libros.

Vt emam calamos

Vt custodiam uestimenta.

Vt pascam porcos, oues. &c.

Formula accusandi quempiam.

Andreas non honorauit sacerdotem:

Petrus cecidit me pugnīs.

Ioannes vsus est lingua vernacula.

Hic non detexit caput, cum præteriret magistratum.

Ille maledixit mihi.

Iste conuitiatus est nobis.

Nemo vult repetere lectionem.

Iacobus nunquam salutat parentes.

Fabulatur de re scurrili.

Non vult cedere de meo loco.

Perminxit calceos meos.

Conspurcauit papyrum meam.

Non patitur me studere.

Deridet me. Oppedit nobis.

Non sinit me scribere.

Ostentat pudenda.

Vulsit me crimiāibus.

Interrogationes aliquot.

Quod est tibi nomen? Ioannes.

Qui vocaris? Petrus, Paulus.

Quot annos natus es? vnum, duos, tres, sex,

oeto, decem, vndecim, duodecim, &c.

A 4 Quod

PVERILES

Quod annorum es? Vnius, duorum, decē, &c.
 Quotum annum agis? Primum, secundum, &c.
 Quota est hora? Prima, secunda.

Acimilia Battus.

Ae. Batte fili mi, fili mi Batte?

Bat. Quid vis?

Ae. Est tempus surgendi.

Bat. Sine me obsecro adhuc paululum requiescere.

Ae. Dormitum est satis, surge mi fili.

Bat. Quod horas dormiui?

Ae. Ferme decem, nimium diu.

Bat. Utinam liceat ad facietatem dormire.

Ae. Aperi tantum ocellos.

Bat. Non possum Hercle.

Ae. Cerne, quam sudum est foris.

Bat. Quid ad me attinet, sudum sit an nebulosum?

Ae. En sol etiam te inuisit.

Bat. An ortus est iam?

Ae. Iam dudum.

Bat. Aegrè possum profligare soporem.

Ae. Erige corpus, modo somnus abcesserit.

Bat. Vbi est indusium?

Ae. Eccum sub cervicali iacet.

Bat. Abscede mater, ego surgam illico.

Ae. Noli redormiscere.

Bat. Non faciam, abi modè.

Ae. Eo.

Con.

CONFABULAT.

Cornelius, Dorothea.

Cor. Mater quota est hora?

Do. Quid tu ais, siccine edoctus es?

Cor. Quid sim edoctus,

Dor. Non me salutare debebas antea?

Cor. Bonum mane.

Dor. Et tibi: Nunc quære, quiduis.

Cor. Dic mihi amabo mea mater.

Do. Quid vis ut dicam?

Cor. Quota sit hora?

Do. Initat sexta,

Cor. Sonuit, an nondum?

Do. Non opinor sonuisse.

Cor. Utinam id sit verum.

Dor. Equidem non audiui sonitum.

Cor. Malè metuo præceptoris manum.

Do. Potes præuerti magistrum, si non cesses.

Cor. Ita mihi faciundum esse censeo.

Do. At ita, ut ne implexus hinc abeas, aut illotus?

Cor. Vbi rediero tum lauabo.

Do. Immo nunc laua potius.

Cor. Obsecro te mea mater, sine me nunc abire ne vapulem.

Dor. Vade tuo periculo.

Eualdus, Franciscus.

Eu. Vnde venis tam sero, heus tu?

Fr. E nostra domo.

A 5

Eual-

PVERILES

- Eual Non audiuisti sonitum campanæ?
 Fran. Non potui audire præceptor observandus
 Eual. Quid? non? num obturduisti?
 Fran. Nequaquam
 Eual. Qui nõ potuisti ergo audire campanam?
 Fran. Altum dormiebam.
 Eual. Quid ego audio?
 Fran. Nec mater expergefecerat me.
 Eual. Non tu potes expergisci, ni susciteris?
 Fran. Non indignaberis, si verum fatear.
 Eual. Non, si nihil falsi proferas.
 Fran. Nisi quispiam suscitet me, non euigilem
 credo ante meridiem, ita suaviter dormio.
 Eual. Surges posthac maturius.
 Fran. Dabo equidem operam.
 Eual. Ita facito: hodie ignoscitur tibi, quia verus
 confessus es: abi hinc ad sodales tuos.
 Fran. Ago tibi gratias immortales reuerendissime
 præceptor.

Gerardus, Henricus.

- Ger. Cede paululum.
 Hen. Non istic satis habes loci?
 Ger. Minimè.
 Hen. Nec ego quicquam cedere possum.
 Ger. Vbi vis?
 Hen. Vbi sedebo autem.
 Ger. Hic sedeò percommodè.
 Hen. At ego te admonéo, vt aseedas properè
 de meo sinu.

CONFABULAT.

- Ger. At tu mihi demonstra vbi alioqui sedeam
Hen. Vbi canes sedent, sedeto.
Ger. Vbi verò sedent canes?
Hen. In clunibus.
Ger. Itidem ego facio.
Hen. Scis verò, quomodo sedeas,
Ger. Humanitùs.
Hen. Et scis vbi?
Ger. In tuo gremio:
Hen. At nunc humi iaces supinus.
Ger. Hoc tu mihi impunè nunquam feceris
Hen. Flocci non facio tuas minas.
Ger. Ne scis nimium procax.
Hen. Incepta quid vis: vtrum inuenies.
Ger. Saluo pugil inuicte.
Hen. At tu mihi pugnum impunè non impin-
ges: hoc te scire etiam volo.
Ger. Enimverò, nisi præceptorem metuerem,
iam dudum pugnus in mala hæreret.
Hen. Si quid vis, post horam octauam euoca.
Ger. Euoco, veni.
Hen. Ientaculum volo antea sumere, vti robu-
stior sim: tam diu te oportet expectare.
Ger. Sciebam bullas esse quod iactabas.
Hen. Insane, nos hic pugnemus? jisdem studijs
consecrati, jisdem virtutum præceptis im-
buti? apage te cum tam friuolis fabulis.
Ger. Nunc te virum iudico & generosum &
inuictum.

1648

PVERILES

Ioannes, Lambertus, Martinus, Nicolaus.

Ioan. **Q** Vis istic est strepitus puer, quasi Dominus absit?

Lam. Hi duo contendunt.

Ioan. De qua re contenditis vós iuvenes?

Mar. Non vult mihi reddere calamum meum, quem eripuit?

Io. Si non actutum facit, expectet me cū virga.

La. Dicit se velle fugere.

Io. Vos eum retinete, & adducite ad me

L. Ecce mordicus apprehendit manicam meā.

Io. Ego illi etiam dentes istos omnes euellam, si non dimittit illicō.

La. Scelestus puer est, & scalpit vnguibus.

Io. Nam cur est tam sceleratus puer?

Nic. Quid feci?

Io. Pennam eripuisti illo puero.

Ni. Cur etiam mihi dedit nomen ignominiosum?

Io. Non faciet amplius.

Nic. Nec ego.

Io. Dixisti te velle aufugere.

Nic. Stultus est, qui se cædi patitur, dum licet fugere.

Io. Et mordicus apprehendisti manicā illius.

Nic. Manum captabam, subduxit manum, cepi manicam.

Io. Adeo scelestus & mordax.

Nic. Et mures tenentium se manus impetunt:

ROE

CONFABVLAT.

non mihi idem liceat quod musculis?

Io. At mures sæpenumero innoxij sunt, quando capiuntur.

Nic. Et ego innoxius: nam quod eripueram, confestim reddidi.

Io. Metu virgarum scilicet.

Nic. Non est deploratè malus, qui à maleficio metu mali abstinet.

Io. Malus est.

Nic. Placet bone præceptor, dum ne sim calcolalus.

Otto, Petrus.

Ot. Non habes cultellum, quem des mihi commodato?

Pe. Habeo quidem, sed quem tibi commodem, non habeo.

Ot. Quam ob rem?

Pe. Nouitius est, quem habeo, non reuertatur, si patiar euagari.

Ot. Noli timere: ego tantisper hic resistá, dum vtor.

Pe. Non do.

Ot. Forsan habes, quem nuper amisisti.

Pe. Amisisti scilicet cultellum?

Ot. Factum.

Pe. Qualis erat?

Ot. Vis audire qualis fuerit?

Pe. Volo.

Ot. Paruulus erat & hebes.

Pe. Au-

PVERILES

Pe. Audio.

Ot. Obtusum habebat cuspidem.

Pe. Quid præterea?

Ot. Capulum rubrum æneis distinctum clauiculis.

Pe. Quid narras?

Ot. Superne foramen.

Pe. Tuus per omnia similis fuit ei, quæ ego habeo.

Ot. Sine quæso, inspiciam.

Pe. Vide.

Ot. Ostende totum.

Pe. Age contemplare ad satietatem.

Ot. Dic amabo vbi tu nactus es istū cultellum?

Pe. Cur tu id quæritas?

Ot. Mihi opus est quæsito.

Pe. Mihi non est opus responso.

Ot. Dic absolutè vnde habes?

Pe. Repperi.

Ot. Antea quàm perderetur adde.

Pe. Ante quàm permerdaretur tu inique.

Ot. lubes me coniectare tamen.

Pe. Concedo.

Ot. Emisti?

Pe. Ita est reuera.

Ot. De quo amabo?

Pe. De iuvene quodam mercatore.

Ot. Furtius est me hercle.

Pe. Nihil ad me attinet.

C O N F A B U L A T.

Ot. Audes tu verò mercari res furtiuas?

Pe. Sine discrimine quaslibet.

Ot. Nihilo es melior quàm fur.

Pe. Non sum. Sed cur dicis hunc esse cultrum
furtiuum?

Ot. Meus fuit.

Pe. Fuit credo tuus, sed nunc est meus.

Ot. Ego tibi suadeo, vt mihi reddas meum.

Pe. Sic à me non auferes.

Ot. Quiesce, illicò faxo vt reddas ingratus.

Pet. Quid facies?

Ot. Ad præceptorem ibo: illi rem pandam or-
dine: is te coget restituere.

Pet. At ego mox petita venia manebo domi,
nec in scholam venturus sum hodie,

Quirinus, Rheimerus, Sebastianus.

Qui. C O lendissime Præceptor, huic quæso
impèra, vt mihi reddat cultrum meum.

Rhei. Ecquid habes, heus tu, quod huius est?

Seba Non habeo.

Rhei. Quàm tu mihi proteruè respondes?

Seba. Quàm proteruè verò, nihil habere me di-
co.

Rhei. Non tu alienum cultrum habes?

Seba Non habeo sanè.

Rhei. Nec habes vllum cultrum?

Seba. Habeo paruulum, is meus est.

Rhei. Vbi est.

Seba. Eccum in vagina.

o m

Rei. Ostende mihi.

Se. Non abnuo.

Rei. Vbi tu nactus es hunc cultellum?

Seb. Possedi fermè totum mensem.

Rei. Non istud quærito, sed vnde habes?

Se. Ab institore iuvene: is vendidit mihi.

Rei. Quanti?

Se. Quadrante Brabantico.

Rei. Melior est culter quàm pretium, quod dedisti.

Se. Bonum feci mercimonium, si ita est, vt tu dicis.

Rei. At hic suum esse contendit.

Se. Non est ita, meus est, si quid perdidit, requirat, ego nihil eripui, quod illius sit, aut fuerit.

Rei. Vis mihi acquiescere?

Se. Si mihi non fiat iniuria, volo.

Rei. Nolo contentionem inter vos esse.

Se. Sed ego cum nemine contendo.

Rei. Ergo restitue huic cultrum suum.

Se. Non recuso, si mihi pecuniam meam restituat.

Rei. Faciet.

Se. Vt illico faciat.

Rei. Redde huic argentum suum actutum.

Qui. Accipe pecuniam.

Se. Tu cultrum recipe.

Rei. Ita fieri decet: ex talibus initijs sæpe nascuntur.

C O N F A B U L A T.

tuntur magnæ similtates, etiã inter adultos.

Thomas, Vincentia.

Tho. **M**Ater quando prandeatur?

Vin. Illicô, paulum si expectes modô.

Tho. Abeundum est mihi ex templo.

Vin. Quonam ô bone tam properet?

Tho. Quo scholasticos ire decet.

Vin. Nempe ad ludum.

Tho. Nempe ad ipsam carnificinam.

Vin. Nondum sonuit primam.

Tho. At nos sonitum ipsum præuerti decet.

Vin. Quoties per hebdomadam?

Tho. Quotidiè.

Vin. Qua hora?

Tho. Quid quæritas? omni hora.

Vin. Cur ergo tam secure requiescis mane?

Tho. Id ego nunquam impune facio.

Vin. Itãne verbera magis times à prandio, quã à somno?

Tho. Quære qui tibi respondeat, si mihi non vis dare cibum, impransus abibo.

Vin. Abi quo vis, nemo est qui detineat te: si non prandes, vesperi conabis lubentius.

Andreas, Bartholomæus.

An. **C**Ur tu cæteris tardius venis ad ludum?

Bar. Mater iussit me paulum operiri, dum pararet holus.

An. Quando solet holus decoquere?

Bar. Sub horam duodecimam;

B

A

PVERILES

An. At nunc est ultra primam.

Bar. Nunquam hoc euenit illi ante hac: quin etiam cū lentior esset in apparando, non sum illius lentitudinem remoratus: veritus, nimirum tuum imperium, itaq; impransus hor sum procurri.

An. Dicis verum?

Bar. Dico enim uerò.

An. Miseret me tui scilicet: cæterum vesperi cœna liberalius.

B. Vbi parçè prandetur, nō cœnatur liberaliter.

Corneliola, Dionysius.

Cor. S Vrge ignauissime.

Dio. Hei, noli mihi molesta esse.

Cor. Vis totum diem stertere? surge, inquam, ut reconcinem lectum.

Dio. Quod ais tandem?

Cor. Ut surgas.

Dio. Num est tempus?

Cor. Præceptor tuus intrauit in ludum, tu rogas num sit tempus.

Dio. Quam dudum intrauit?

Cor. Iam dudum.

Dio. Quota ergo est hora.

Cor. Est circa septimam.

Dio. Eheu, quid finis me tam diu dormire.

Cor. Quis te suscitaret?

Dio. Vel tu, vel quilibet è familia.

Cor. Quomodo queas verò suscitari?

Quo

CONFABVLAT.

Dio. Quomodo? clamore vel tactu.

Cor. At egomet ipsa plus quam decies te frustra inlamaui.

Dio. Vocasti me scilicet?

Cor. Et quidem ita fortiter, vt si mortuus esses, audires credo.

Dio. Falsum autumo.

Cor. Vocauit inquam.

Dio. Si vocasses, audirem.

Cor. Nisi dissimulauisses, audire poteram.

Dio. Si audissem, surgerem.

Cor. Tam alacriter herclè, quàm soles.

Dio. Frustra obloquor fœminæ.

Cor. Propera te induere, ni vis pulsari.

Dio. Quis id faciet?

Cor. Magister phrontisterij.

Dio. Dij perdât phrontisteriû, vnâ cû magistra!

Cor. Isthocne deprecationis orsus?

Dio. Quid precer? imprecari libeat magis.

Cor. Egregia probitatis rudimenta.

Dio. Abi, quæso te, & rem cura culinariam.

Cor. Illa curabitur rectè vel te extincto.

D. Abi quæso te denuò, non me possum induere te præsentè.

Cor. Adeone verecundus de repente factus?

Dio. Interea dum tu hic garris, abit hora, mihi parantur plagæ quas tu non senties.

Cor. Dignus, me herclè, acri castigatione.

Dio. Quamobrem? **Cor.** Nescio.

B 2 A

PVERILES

Dio. At ego scio, quid præceptorî respondeam.

Cor. Quid aliud quæso, quàm te nihil esse inertius? nihil somniculosius?

Dio Immo aliud.

Cor. Nempe quod ita securè dormias, vt nullo clamore possis excitari, tantum abest vt euigiles tuapte sponte, vel amore literarû, vel præceptoris metu, vel reuerentia parentum.

Dio. Inceptas prædicationē solitam ac veterē?

Cor. Prædico quidem, sed surdo.

Dio Si fores aliena, scio quid facerem.

Co Verberares nos scilicet: abi quo dignus es.

Dio Obsecro te per omnes Deos, vt garrire tandem desinas.

Cor. Non quiescam donec surgas.

Dio. Non possum, ni tu abeas.

Cor. Ego patrem accerso.

Dio. Vel matrem, dum tu abeas soror.

Cor. Ego abeo, redibit alter.

Erasmus, Fredericus.

Eraf. **H**Orsum tu quoque cum hirtio capite.

Fre. Hic sum.

Eraf. Video, sed vnde venis tam serô tamq; incultus?

Fre. Eltrato primû, deinde ex nostris ædibus.

Era. Quod serô, hoc nunc mitto: nō tu debebas caput pectere, antequam venires ad ludum?

Fre. Non habemus pectinem.

Eraf. Cur non emitis?

Pa

CONFABULAT.

Fre. Parentes dicunt sibi deesse pecuniam.

Eras. Vendite frumentum, vt pecunia suppetat.

Fre. Non est.

Eras. Quin rogatis vtendum aliundê pectinê?

Fre. Nemo vult nobis dare commodato.

Eras. Quamobrem?

Fre. Plerique omnes habemus capita scabiosa,
id vitant credo homines.

Eras. Tot porrô cereuisiæ tui parentes exhauriunt, non tantum possunt detrahare gutturi suo, vt emanat pectinein?

Fre. Nescio herclè.

Eras. Aut tu mihi comptior redi ad ludum, aut ne prorsus redi.

Fre. Dicam.

Godefridus, Hermannus.

Gode. P^{er} multos abesse video, heus custos, circumspecta.

Her. Sic est præceptor.

Go. Vide, vt omnium, qui nunc absunt, nomina descripta habeas.

Her. In libello?

Go. Immô in chartula, quâ mihi tradas in ma-

Her. Quando? (num.

Go. Vt primùm rediero ad ludum.

Her. Fiet.

Go. Intered curabis, vt mihi lentarum virgarû sint parati fasciculi, si sum saluus hodie, efficiam, vt studiosius conueniatur.

FVERILES

Her. Secutum te esse iubeo, quantum ad virgas
attinet.

Go. Dicis probè.

Jacobus, Laurentius.

Jaco. P. Lagæ te manent somniator,

Lau. Quid feci?

Ioan. Quod non adfueris.

Lau. Vbi?

Ioan. In ludo litterario.

Lau. Illuc properabam.

Ioan. Serio properas.

Lau. Qui sic?

Io. Hora abiit, nos à præceptore dimissi sumus.

La. Tam mane?

Io. Quam mane verò? iam dudum sonuit octava.

La. Num deludis me?

Io. Minimè verò.

La. Eho, dic mihi, ecqua fuit mentio meis?

Io. Et quidem permagna.

La. Dic amabo.

Io. Sic est, præceptor vniuersos conscribi iussit.

La. Vtros, præsentés ne. an absentes?

Io. Absentes nimirum.

La. Malè habet, nam si præsentés conscribi iussisset, ego me præteritum fuisse contenderem.

Verùm quis quæso notauit?

Io. Venantius Gallus.

La. Io saluus sum, si verum dicis.

Io. Quid gestis?

CONFABULAT.

La. Ille mihi obnoxius est, adibo ac deprecabor, vt meum nomen dispungat, non audebit negare.

Io. Nullo faciet inductus præmio.

La. Ne dixeris: scio quid mihi pollicitus sit.

Io. Pendetis ambo, si resciscat magister.

La. Istud ego dijs superis committo.

Matthews, Nestor, Andreas, Petrus, Ioannes.

Mat. Expedi virgas & ferulam custos.

Ne. Sunt in promptu.

Mat. Vbi nomina absentium?

Ne. Hic sunt?

Mat. Recita sigillatim omnes.

Ne. Andreas Fabri.

Mat. Ades, cur non adfuiſti hodie?

And. Pater iussit me abire in agrum, vt cognoscerem, an fossores ibi adessent. (agrū.

Mat. Venisses ad me petitum copiã abeundi in

A. Nō mihi licuit horsum ire, sic instabat pater.

Mat. Dixisses te non posse abesse à schola sine meo fauore.

And. Dixi quidē, sed nō impetraui ab eo facultatē transcurrendi ad te, ita imperiosus est.

Mat. Domi habet imperium pater, ego in ludo.

And. At domi iussit pater.

Mat. At ego vetui quenquã secus facere quã hic volo & iubeo.

And. Non tu vis, vt parentibus obsequamur.

Mat. Omnino.

B 4 CXX

PVERILES

An. Cur igitur nunc hoc fecisse arguor?

Mat. Abi abi, tempus extrahimus hac concertatione: vtriq; pareto, quo ad fieri potest. Cita alium.

Ne. Petrus Pistoris.

Mat. Pistor age dic, quid te detinuerit.

Pet. Equidem surrexi statim post horam quartam, sed ilico debui farinam subigere, is labor duravit ferè sesqui horam, postea verò dum lauor, dum aresco, dum induo caligas & comparo me, abit tempus. (pus.

Mat. Dū tu mihi ista sic refers ordine, perdis tē-

Pet. Atqui præceptor doctissime, ni tempus hoc pacto perderē, lucri facerē mihi plagas.

Mat. Omnes estis in accusando argutuli, in discendo non item, abi. Recita cæteros.

Ne. Ioannes Hornius.

Ma. Nempe hoc assiduè aliàs aliud affers, quid verò nunc proferes in excusationem tui?

Io. Heri vesperi præceptor optime, multas conuiuas excepimus, hi defederunt vsq; ad mediam noctem, nec mihi licuit latum vnguem ab eis discedere, propterea non potui euigilare maturiùs, dixi.

Mat. Cur me quoque inter cæteros conuiuas non vocastis

Io. Transigam apud parentes vti voceris nõn nunquam, si ita vis.

Mat. Spondes id mihi facturum?

Spon-

CONFABULAT.

Ioan. Spondeo herclè

Mat. Vide ne fallas.

Io. Per me quidem nõ stabit, quõ minus vocaberis.

Mat. Frugi es adolescens, cura vt sis itè studiosus.

Mat. Abscede hinc in locum tuum,

Ne. Iubes me cæteros recitare?

Mart. Minimè hoc tempore nolo v. rsum gregem fraudare sua prælectione ob paucorum inertia, verum hoc meminertis pueri, posthac nequicquam excusabitis absentia, quisquis sine meo fauore abfuerit, vapulabit
Osualdus, Paulus, Puerorum grex.

Os. **M**editamini diligenter ea, quæ nunc prælegimus.

Pue. Sedulo faciemus.

Pau. Præceptor, si nescis, est octaua signata.

Os. Est audita?

Pau. Est sanè.

Os. Quamdudum?

Pau. Haud ita dudum?

Os. Quiescite pusillum pueri, postquã hunc interrogauero, quæ volo, ilicõ dimittã omnes vos. Tu mihi responde.

Pau. Egone?

Os. Tu. Scis quid te facere oporteat?

Pau. Quando?

Os. Mox vbi veneris domum.

B 5 Nun-

PVERILES

Pau. Nunquid faciendum est præter solitum?

Osu. Quid a soles facere?

Pau. Si sum impexus aut illotus, pectore lauoq;

Osu. Rectè, quid postea facis?

Pau. Ientor, & reuertor quamprimùm ad ludum.

Osu. Probè: nihil amplius verò?

Pau. Nihil sanè, si quid prætereà fieri decet ad-
mone quæso.

Osu. Id faciam, ausculta.

Pau. Ausculto, dic.

Osu. Quocunq; tempore domum ingrederis,
nunquam debes domum tacitus introire.

Pau. Nec id facio.

Osu. Quid loqueris ingrediens?

Pau. Saluto matrem.

Osu. Meritissimè: sin mater abest, què salutas?

Pau. Si illam nusquã conspicio, saluto familiã.

Osu. Sin pater postea ingrediatur, non salutas?

Pau. Minimè: credidi me perfunctum officio, si
salutem semel.

Osu. Imò patri talis honor debetur in primis.

Pau. Nesciebam: quid si me pater, nec videat,
nec alloquatur?

Osu. Nihilominus vitrò debes tu eum accede-
re, detectoq; capite flectere pòblitem, & ho-
noricè salutare.

Pau. Alijsne verbis, quàm quibus cæteros ho-
mines salutare solemus.

Osu. Prorsus alijs.

Qui-

C O N F A B U L A T.

Pau. Quibus?

Os. Salue pater charissime: vel sic, sis saluus mi

Pau. Teneo. (pater.

Os. Si quid interrogabit, respondebis quod scis, sed humaniter.

Pau. Meminero.

Os. Caue tibi quicquam displiceat eorū, quae vel dicit, vel facit.

Pau. Non sum tam fastidiosus, vt patris mihi facta displiceant aut verba.

Os. Ad quoduis imperatum sis obsequibilis.

Pau. Sic sum.

Os. Vide ne vnquam offendas.

Pau. Sciens non faciam.

Os. Porro si quando offensus detonabit, perfero tacitus increpationem ipsius.

Pau. Quid, si nihil sum promeritus?

Os. Etiam iniustam obiurgationem disce sustinere, praesertim à parente.

Pau. Conabor pro virili.

Os. Vtrunque parentem debes colere ac venerari pari obseruantia.

Pau. Ita facio, etsi nullus admonuerit.

Os. Si quidem facis, perge facere: sin minus sedulò facito.

Pau. Nihil praetermittam volens.

Os. Honestè dicis. Pueri, vnum hunc edocui, omnes eadem edoctos volo.

Pue. Intelligimus.

Nunc

PVERILES

Osu. Nunc ite ientatū, & redite sub horā nonā.

Quintinus. Rubertus, Seruatim.

Qui. **Q** Vis habet signū tentonici sermonis?

Ru. **E**go.

Quin. Quem notauisti?

Rub. Seruatim.

Ser. Tu me notaueris?

Rub. Etiam.

Serua. Quam ob caussam?

Rub. Quod vsus sis lingua vernacula.

Serua. Aduersus quem loquens.

Rub. Aduersus me.

Serua. Erga te mendacissime?

Rub. Quid vociferaris?

Serua. Non vociferer, quum hic talia audeas
prædicare?

Rub. Quid ni audeam, cūm sit verum?

Serua. O Falsidice, quando verò audiuisti me
loquentem Germanicè?

Rub. Vis scire?

Serua. Volo enim uerò.

Rub. Nuper alicubi.

Ser. Audite, dic sodes, quo die? aut vbi gentiū?

Rub. Dies excidit mihi, locū non commemori.

Serua. Dic quo præsentē?

Rub. Me & te.

Serua. Falsum est.

Rub. Verum est.

Serua. Scilicet quod ego dico.

Zeno

CONFABVLAT.

Ru. Immò quod ego dico.

Qu. Vtri credam? equidem ambigo.

Ser. Ei, qui verum dicit, quæso vt credatur bene magister.

Ru. Ego te assero dixisse teutonicum.

Ser. Proba me dixisse:

Ru. Immò, tu proba te non dixisse.

Ser. Non possum: si mihi liceat iusiurandum interponere, nihil dubitem per omnes adiurare Diuos.

Qu. Te videlicet locutum teutonicum.

Ser. Insignis mihi fit iniuria præceptor optime.

Qu. Nunquã ante hac protulisti teutonicũ ser-

Ser. Persæpè fateor. (monet)

Qu. Credibile est, tum quoque dixisse teutonicum, quum hic te notaret.

Ser. Mentitur furcifer, nec ego teutonicum locutus sum, hoc præsentem, nec iste notauit.

Qu. Rideo me herclè, nec vtri credam scio. Hic mihi nunquam mentitus est ante hunc diem, tu semel atque iterum, quod nunc sanè tuã causam reddit deteriores.

Ser. Agnosco peccasse olim mentiando, at nũc profectò verũ dico, nihil deliqui præceptor.

Qu. Vis vt credam tibi?

Ser. Credas, mihi securè magister obseruande.

Ru. Præceptor bone vel crede, vtrique. Vel crede neutri

Qu. In disceptatores incidi, vt video: auferte

PVERILES

vos hinc ambo in ré malam, tu signū retine.
 Rub. Perquam lubens, quando ita vis.

Theodoricus, Venantius.

Theo. **H**Abes tecam pennariam fili?

Vena. Etiā domine: si quid vis, suppeditabo

The. Duo verba, volo exarare.

Ven. Vel decem.

The. Subsiste tantisper dum scribo.

Ven. Nusquam digrediar, scribe quantum vis
 prolixè.

The. Recipe fili calamarium tuum: notavi quæ
 volui: habetur tibi gratia.

Ven. Quid mihi gratiam habeas senex adoles-
 centulo, præsertim ob nullum officium.

The. Honestæ oratio tua, mi fili, prouocat me, vt
 te cum colloqui paulisper libeat, si annuis:

Ven. Nō abnuo quidem tecum loqui domine,
 sed quid id sit miror, quōd mecū loqui velis.

The. Scire ex te primū volo, qui sint parētes tui

Ven. Non hic habitant, proinde frustra nomi-
 nem eos tibi.

The. Non? vbi igitur?

Ven. Guertei.

The. Iste locus perquam ignotus est mihi.

Ven. Credo domine: nō est tam celebris, quàm
 hic est.

The. Oppidum, est an pagus Guerteum istud?

Ven. Oppidum sanè, & quidem populosissimū
 vulgò vocatur Vveert.

Nunc

CONFABULAT.

The. Nunc scio, magnum exercetur lanificium
in eo loco.

Ven. Iam tenes.

The. Scholasticum te esse credidi.

Ven. Sum equidem scholasticus.

The. Quid igitur accidit, ut huc studendi causa
adueneris.

Ven. Nō hic studeo, sed in patria, nunc hic ani-
mi causa cū patre profectus sum ad mercatū.

The. Iam me reduxisti in viam: A quo igitur es
institutus?

Ven. A ludimagistris illius loci ubi natus sum.

The. Cuiusmodi præceptores habetis illic?

Ven. Alterum macrum, pinguem alterum.

The. Cœlibes sunt an mariti?

Ven. Ambo mariti.

The. Magna sunt eruditione?

Ven. Nescio hercle, tolerabili opinor.

The. Quod discipulos habent?

Ven. Magnum sanè gregem.

The. Quid docent vos?

Ven. Hercle quod nescimus: ridicula est respō-
sio domine, sed ignoscenda.

The. Placet: ecquis inter condiscipulos tuos est
insigniter doctus.

Ven. Hic nihil habeo quod respondeam.

The. Possunt quiduis Latinè dicere?

Ven. Opinor certè, garriunt assiduè Latina?

The. Tu quid discis?

Ven. Grammatices præcepta.

Lo

PVERILES

The. Ecquid operæ precium fecisti in literis?

Ve. Ego meam eruditionem non possum æstimare.

The. Licet periculum tui facere?

Ve. Non refugio: si libet, licet.

The. Ecquem versiculum tenes memoriter?

Ve. Permultos.

The. Profer vnum quempiam. (est.

Ve. Principibus placuisse viris, nō vltima laus

The. Collige constructionem (viris.

Ve. Non est vltima laus, placuisse principibus

The. Quid ea ratio sibi vult, Nō est vltima laus?

Ve. Quod sit laus eximia per contrarium expressa: sicut dicimus puerū quempiam nō esse indoctum, quē doctum esse volumus dicere.

The. Vltimum quid significat?

Ve. Quod est ordine postremum: verūm hic, quod & aliās sæpè, pro minimo aut exiguo, aut infimo ponitur, quemadmodū primus ponitur pro summo & eximio.

The. Quæ est pars, vltimus?

Ve. Meus magister retulit inter nomina ordinalia. Nam de talibus rebus non solet anxie disputare. Et ipse discipulos habere mauult qui sciant vocibus vti, quàm qui de illis digladiari norint.

The. Infinitum placuisse, vnde regitur, aut à quo pender?

Ve. Dupliciter hoc dici posse existimo. Primū,
quod

CONFABULAT.

quod pendeat à verbo Est, vt subaudiatur accusatiuus, sicut mos est verbis pisticis accusatiuum post se regere cum infinito: vt sit ista constructio, nō est vltima laus, subaudi, hominē placuisse viris principibus. Et sit similis huic orationi: Est æquū discipulum amare præceptorē. Deinde potest dici, quōd infinitum placuisse, ponatur vice nominatiui, sicut plerunq; fit, vt sit huic orationi similis, amare est res damnosissima: vel huic ludere aleam non est honestum.

The. Quid sibi vult principibus viris?

Ven. Per principes viros, puto significari Viros præpotentes, nobiles, diuites, & similes, vt princeps hic ponatur loco nominis adiectiui, sicut apud Lucium Florū vsurpatur, princeps populus. Nec id nouum est: nam & senex mercator dixit Terentius, & anus vulpes extat apud Erasmus.

The. Cuiusmodi versiculus est iste?

Ven. Heroicus hexameter.

The. Vnde constant illi?

Ven. In quatuor primis pedibus indifferenter ex dactylo vel spondæo, in quinto è solo dactylo: sexto spondæo vel trochæo.

The. Dactylus quot syllabas recipit?

Ven. Ternas.

The. Cuiusmodi?

Ven. Primā longam, duas posteriores breues.

C Has

PVERILES

The. Hæccine vos docent magistri vestri?

Ven. Obsecro, vnde ego alioqui hauserim?

The. Oportet illum esse virum opulentum.

Ven. Qui?

The. Quia magnum quæstum faciunt, qui sic erudiunt adolescentes.

Ven. At noster vix sese à penuria tuetur.

The. Ita pauper est?

Ven. Certè non est opulentus.

The. Dignus hercle meliore fortuna.

Ven. Ita est quidem, sed non potest fortunæ litare.

The. Quomodo ciuibus & ipsi conuenit?

Ven. Opinor bene, fauent illi certatim omnes, hoc scio.

The. Nihil dant?

Ven. Non est petax.

The. Hoc magis promeretur munificentiam.

Ven. Vestræ Republicæ potentes sunt, at nostra non item.

The. Quales sunt tui condiscipuli?

Ven. Boni & studiosi.

The. Amant hi te?

Ven. Tanquam fratrem.

The. Equidem præceptorem tuum amas?

Ven. Mirificè.

The. Honestè facis. At verò potes mihi expedire, cur ames?

Ven. Primum, quod sit vir doctus.

ob

CONFABVLAT.

The. Ob eruditionem amatur meritô ab omnibus bonis.

Ven. Deinde, quôd in discendis nobis tam diligens sit.

The. Hoc nomine vos illi potissimum debetis honorem pariter & amorem.

Ven. Tum, quod neminem nisi clementer obiurget.

The. Dignus hercle, qui regum liberos doceat.

Ven. Nec vnquam cedit quenquam, nisi admonitum antea.

The. Vir bonus est, quantum audio.

Ven. Adhæc vniuersos sic prouocat ad literarum studia, & ad honestatem, vt non possit mater benignus prouocare suum infantem ad fugendum aut edendum.

The. Iuuenis sit improbus, qui præceptorem talem non amet.

Ven. Ergo me dixi amare, ne iuuenis censeat improbus.

The. Percontatus sum filii, quæ volui, nunc te dimitto. Vale feliciter, & præceptorem tuum meo nomine fac officiose salutes adueniens.

Ven. Faciam, ac lubens quidem.

Arnoldus, Bernardus.

Ar. **E**Cquis inter vos est ludendi cupidus?

Ber. Vniuersi hercle id cupidus.

Quid

PVERILES

Ar. Quid dabitis mihi, si vobis faciam ludendi copiam?

Ber. Omnes amabimus te plurimum.

Ar. Qua in re declarabitis istum amorem?

Ber. Obtemperabimus tuis præceptis vsque nunquam offendemus, summam operam impendemus in studendo.

Ar. Si sefelleritis, quam pœnam irrogabo?

Ber. Quamuis pœnâ irrogato: aut nos hic perpetuò deinceps tanquam maleficos detineto vinctos in hoc carcere.

Ar. Sententiæ vestræ accedo, placet conditio: Ludite vniuersi, sed honestè.

Conradus, Didymus.

Con. VT omnes dij deaq; præceptorem nostrum magno donent infortunio.

Di. Quid magister malefecit tibi, vt sic in eum destomacheris?

Con. Quod nos hic tam sereno cælo desiderare patiatur: alias, quâdo vel pluuia est, vel procella, patitur sese exorari: nunc inexorabilis est.

Di. Quid eum facere velles?

Con. Ludere iamdudum gestio.

Di. Desipis? nudiustertius lusimus, an id ex, cidit tibi?

Con. Verum illo die, sic venti sæuiebant & imbres, vt mihi non liberet prospicere domo.

Di. An magister potuit præscire, quid euen-

147

turum esset, certè cum dimitteremur, sudum erat.

Con. At paulò pòst quam ludum sumus egressi (Deum immortalem) quanta tempestas subito coorta est.

Di. Cùm ludendi tam sis cupidus, quid quæso tibi libet acsitare?

Con. Quod nuper minùs licuit.

Di. Quid est istud tandem?

Con. In campis currere, in pratis exultare, magnis clamoribus vacuum implere cælum.

Di. Dij boni, quanta est ea voluptas?

Con. Num sit? ego præ hac voluptate ne mel quidem esitare velim, aut faccarum.

Di. Ego magistros nostros alia quædam exercitia memorare commemini.

Con. Non possunt meliora reperiri, meo quidem iudicio.

Did. Quid tibi videtur de pila palmaria?

Con. Nunquam exercui me isto ludendi genere: deinde nec vires suppetunt, nec artem calleo.

Did. Quid piscatio placet?

Con. Vtra? hamatilis, an reticularis?

Did. Vtraque.

Con. Neutro hercle trahor.

Did. Quam ob causam.

Con. Altera segnes, altera reddit viuidos.

Did. Quid? num te lucta delectat? *

Con. Minimè.

Did. Cur non?

Con. Metuo casum fracturamue.

Did. Non tibi libet equitare?

Con. Nunquam ascendi equum.

Did. Non venari?

Con. Desunt castes, venabula, canes.

Did. Non natare?

Con. Ars est inutilis & periculosa, & nobis in-
concessa.

Did. Non iaculari?

Con. Nuper fregi arcum.

Did. Reparares.

Con. Non habeo neruum.

Did. Emeres.

Con. Vbi?

Did. De arcuarijs.

Con. Si pecunia suppeteret emeré libros, qui-
bus opus est mihi.

Did. Didicisti musicam?

Con. Haud vnquam volui applicare animum.

Did. Mirum, quom & liberale sit, & perquam
iucundum.

Con. Credo, sed ego à pueritia semper abhor-
rui à canendo.

Did. Cùm verò nulla te liberalis exercitatio de-
lectet, demiror si quis tecū ludere sustineat.

Con. O insane, credis vniuersos esse tam tetri-
cos quàm tu es? equidem, si velim, possim.

Tace.

CONFABULAT.

Did. Tace, magister adest, si nos confabulantes
aspiceret, & percontetur, quid respondebi-
mus.

Con. Ego reperirem faciliè quid respondeam.

Egidius, Fredericus.

Egi. **C**Ape tabellas has.

Fre. Quid opus tabellis.

Egi. Defer ad magistrum tuum.

Fre. Vbi inueniam eum?

Egi. Domi suæ.

Fre. Quid, si non sit domi?

Egi. Trade illi in ludo literario.

Fre. Nihil dicam?

Egi. Vt id faciat, quod istæ loquuntur literæ.

Fr. Iubes me statim recurrere, postquâ reddidi.

Egi. Si præceptori tuo sic visum fuerit.

Fre. Quid si neque annuat, neq; abnuat?

Egi. Alterutrum faciet, ne metue.

Gisbertus, Hubertus.

Gis. **H**eus heus Huberte sodalium optime.

Hu. Quis me vocat?

Gis. Ego: peropportunè te mihi offers.

Hu. Quid negotij, dic citò.

Gis. Quò properas?

Hu. Ad œnopolium.

Gis. Quid ibi facturus?

Hu. Accerso præceptorem domum.

Gis. Est is in œnipolio?

Hu. Credimus ibi esse.

C 4 Qui

PVERILES

Gif. Qui cum abiuit illuc?

Hu. Nihil scio, nugæ sunt quas agis.

Gif. Immò ego abs te seriam operam expeto.

Hu. Non abnuam si vacet, sed nō vacat modò.

Gif. Non erit longum, quæso ne quo abeas,

Hu. Quid vis, dic verbo.

Gif. Vt mihi has tabellas interpreteris.

Hu. Da, vt percurram citò.

Gif. Accipe.

Hu. Hæ sunt signatæ.

Gif. Scio, resigna

Hu. Tu me iubes alienas litteras resignare?

Gif. Non sunt alienæ, pater meus scripsit,

Hu. Quid tum postea?

Gif. Et ad magistrum iussit perferre.

Hu. Audio.

Gif. Nunc ego mihi malè metuô, ne me criminentur hæ literæ.

Hu. Quid fecisti?

Gif. Nihil quod sciam.

Hu. Cur ergo timere te dicis ne te criminentur?

Gif. Quoniã pater dixit esse commendatitias, ibi suspicor subesse fraudem.

Hu. Verisimile dicis.

Gif. Inspice litteras citò, ille nobis rem omnem expedient.

Hu. Ausculta Hermannus Ceratinus Eualdo Gallo S.D. Qui tibi tradit has litteras, charissimus mihi est, quia filius. Hunc quæso, ne
propter

C O N F A B V L A T.

propter improbitatem odisse incipias, emē-
dare stude: verbis nihil proficitur, aut incre-
patione, aut iurgio, expertus sum. Quare te
deprecor, vt virgis ré peragas. Ossa ne quid
lædas caucto, pellem & carnem faciliè patior
vt diuerberes. Valeto.

Gi. Diuinaueram hercle.

Hu. Bellerophontis hæ sunt litteræ.

Gi. Non erunt diu.

Hu. Quid facies?

Gi. Mutabo.

Hu. Non istud subolebit præceptori?

Gi. Minimè: non nouit manum patris.

Hu. Quo modo mutabis autem?

Gi. Vis audire?

Hu. Si breuiter dixeris.

Gi. Hermannus Ceratinus Eualdo Gallo S.D.

Qui tibi has tradit litteras, charissimus mihi
est, quia filius. Hunc quæso ne propter aliorū
fraudem odisse incipias. Si quid peccabit, e-
mendare stude verbis. Multum increpatione
proficitur & iurgio: ego expertus sum. Quare
te deprecor, vt ne virgis ré peragas. Ossa tan-
tū abest vt velim lædi, vti ne faciliè quidē pa-
tiar pellē illius aut carnē diuerberari. Valeto.

Hu. Artificiofa (ita me Dij bene amēt) mutatio:
sed caue, ne resciscat vteruis eorū imposturā.

Gi. Ista mihi curæ erunt.

Hu. Nimis diu detinuisti me.

C 5 TAN-

PVERILES

Gif. Tantò nunc ociùs curre.

Iodocus, Lucia.

Io. **S**alue puella venustissima.

Lu. Et tu formosissime adolescens.

Io. Vis mihi dicere, quod te interrogo?

Lu. Si prudenter interrogas.

Io. Est ludimagister in vestra domo?

Lu. Est: intus sedet apud focum.

Io. Quid agit?

Lu. Quid agat? potat.

Io. Quis adest illi?

Lu. Nemo alienus.

Io. An mihi non liceat eum adire?

Lu. Nescio profectò.

Io. Obsecro te, vt annuncies illi, quod hic ad-
stem pro foribus.

Lu. Quem te dicam esse?

Io. Henricum Gallum.

Lu. Faciam, ingredere, operitor hic paululum,
dum ad illum abeo.

Io. Curre, & recurre quàm primùm.

Michael, Nicasius.

Mi. **M**Ene quæris Nicasi?

Ni. Etiam venerande præceptor.

Mi. Quid adfers mihi?

Ni. Equidem nihil adfero.

Mi. Quid ais igitur?

Ni. Adolescens quidam te expectat domi, si nõ
est molestum, is te cupit conuenire.

Non

CONFABULAT.

Mi. Nō tu mihi potes expedire. quid nos velit?

Ni. Minimè, habet quid sub veste, quod affert

Mi. Præcurre, & dic me confestim affore. (tibi.

Ni. Abeo.

Orpheus, Philippus, Placida.

Or. Sessum est hic satis viri, quam mox ratiū-
culam subducimus?

Phi. Iam, nunc modò, si tu ita vis, non tibi eri-
mus in mora: te tua negotia vocant & vrgēt.

Or. Rectè autumatis. Ades mulier, quanti bibi-
mus.

Pla. Videtis ipsi quod sextarios biberitis, & pre-
tium vini scitis, nunc pоторum numerum
consideremus?

Or. Tu facito: tui istud est officij: nemo disces-
sit, quot in initio intrauimus, totidem hic sunt
præsentes.

Pla. Capita hic sunt quinque, sextarij septem, si
soluant singuli heminas ternas, accedit vo-
bis cotyla vna, hanc ego vobis fanè conni-
uenter admetiar. (us fiat.

Phi. Accedat tuus acetabulus, & fac vti sextari-

Pla. Non recusò, vti nos denuò reuisatis alias.

Phi. Ita faciemus.

Or. Contubernales festiuissimì, vos hic viuite
& valete, ego auocor.

Phi. Subsiste, donec adhuc semel bibas.

Or. Equidem sæpius bibi, quàm semel: nec ille
me haustus ynicus faciet lætiorē. proinde

yes

P V E R I L E S

de vos valete charissima mihi capita,
Ph. Tu quoque congerro suavissime.

Richardus, Strabo.

Rich. A Ve præceptor.

Stra. Et tu.

Ri. Piscipulos hosce tibi misit pater.

St. Pisces sanè: hoc nouum.

Ri. Exiguum est munusculum.

St. At mihi maximi muneris est instar.

Ri. Rogat pater, vt boni consulas.

St. Sic gratum esse renuntiabis, vt gratiùs esse nihil possit, hoc præsertim tempore: si quidem in vesperam (Deo volente) duos conuiuas hic expectamus: eos his piscibus exhilarabimus.

Ri. Dicam.

St. Resiste paulisper, dum tibi sportulam hanc euacuari iubeo.

Ri. Placet, resistam.

St. Recipe sportulam fili, & age patri tuo maximas gratias meo nomine.

Ri. Non prætermittam.

St. Roga insuper meis verbis, vt ad horam sextã ad me venire dignetur, fruiturus eisdem, quæ misit.

Ri. Nõ est necesse te facere vllos sumptus pro-

St. Fac quod iussus. (pter eũ.

Ri. Quando ita vis, faciam, bene vale.

St. Vale felicissime.

Ti

CONFABVLAT.

Titus, Vitus,

Ti. Vbet hera vt accumbat, si quis esurit,

Vi. Sunt parata omnia?

Ti. Iam dudum.

Vi. Nos accumbimus, tu cibos adfer interea.

Ti. Quid vis primum?

Vi. Petasionem cum carne salsa bubula.

Ti. Quid deinde?

Vi. Vrticæ fasciculos duos: dij te perdant cum
ista quæstione.

Ti. Statim ad iram?

Vi. Quin eam interrogas, quæ cibos coxit?

Ti. At illa mihi iussit vt rogitem te.

Vi. Rogasti semel, posthac rogare desine.

Ti. Meminero.

Antonius, Beatus.

Anto. COnsecrate nobis mensam pueri, vbi
hæretis?

Bea. Frater non est domi pater.

Ant. Vbi est ergo?

Bea. Nec dum redijt cum cereuisia.

Anto. Tu consecra cibos interea.

Bea. Nondum scio consecratione memoriter.

Anto. Quando disces tandem?

Bea. Vt primum potero.

Anto. Cura, vt scias intra triduum.

Bea. Equidem dabo summam operam.

Christianus, Dionysius.

Chri. Q Vis hanc mensam adornauit?

22

PVERILES

Dio.Ego domine.

Chr.Affer huc scalas.

Dio.Deliras here quid opus scalis, quin tubum petis aut potum.

Chr.Fac quod impero.

Dio.Mitte nugari quæso, dic rem ipsam.

Chr.Scire volo quid hic desit.

Dio.Nescio.

Chr.Perspice totam mensam.

Dio.Nihil videor prætermisse.

Chr.Efficiam vt videas, quod vides minus.

Dio.Fac amabo, sed circa contumeliam.

Chr.Dic quo ordine mensam instruas?

Dio.Primum in stereo mappam.

Chr.Mappam video.

Dio.Dispono deinde quadras vel orbes:

Chr.Orbem quisq; suum habet scilicet.

Dio.Deinde impono circulum cum salina.

Chr.Non refuto ordinis modum.

Dio.Hinc panem cibarium appono: nam de pane triticeo seorsum dedisti mandatum.

Chr.Prosequere.

Dio.Postea proluo pocula, & depono vacua, sic vt iussisti.

Chr.Istud meministi rectè.

Dio.Postremum, quando accubuistis, affertur cibus, implentur pocula: nã sella sibi quisq; vestrum disponit.

Chr.Nibil hic vides deesse eorũ quæ tecũsisti?

Sine

CONFABULAT.

Dio. Sine ut percenseam deuo.

Chr. Abi cum tua censura: affer huic quadram,
& alterum salinum insuper.

Dio. An ego diuinare poteram, quod essent futuri conuiuæ:

Chri. Etiam hic, stas ganeo.

Everhardus. Flaccus.

Euer. P Rolve amphoram illam semodiale.

Flac. Factum puto, quid imperas?

Euer. Ut afferas meliorem cereuisiam.

Flac. Vbi me iubes afferre?

Euer. Vbi est omnium optima.

Flac. Ego nusquam audio probari.

Euer. Qualis est in rosa?

Flac. Non est syncera.

Euer. Qualis in stella?

Flac. Syncera quidem, sed tenuis.

Euer. In Mauro qualis?

Flac. Exhausta est.

Euer. In Galea nulla?

Flac. Nulla,

Euer. Chrisophaleus quid promit?

Flac. Acetum.

Euer. Quid coxit Batauus?

Flac. Quod coxit, necdum maturus.

Euer. Deferuere voluisti dicere,

Flac. Istud ipsum.

Euer. Quid vendit Rex?

Flac. Aquam ruffam.

Quid

PVERILES

Eu. Quid ascopera?

Fla. Amicis cereuisiam, alijs loram.

Eu. Dij perdant omnes cereuisiarios.

Fla. Dij, seruent potius, nisi vultis potare aqua.

Eu. Cur etiam non coquunt bona cereuisiam?

Fla. Si nihil illis deesset, facerent.

Eu. Quid deest igitur?

Fla. Alias est polenta leuis, alias affundunt plus
satis aquæ, alias non sinunt deferuere.

Eu. Tetegisti rem acu per louem: Vade quocun-
que vis, sed adfer synceram.

Fla. Da mihi pecuniam.

Eu. Cape.

Fla. Quanti valet hæc?

Eu. Duobus assibus & quadrante.

Fla. Quantum redibit hinc mihi?

Eu. Tu supputato.

Fla. Inter eundum faciam, ibi vaco.

Eu. Vade curriculo.

Fla. Mox hic adero.

Eu. Vt mihi reportes bonam pecuniam vide.

Fla. Adhibebo curam maximam.

Eu. Et oculos volo vt adhibeas: nam cura tua
per quam exigua est.

Georgius, Hermes.

Geor. Cereuisia hæc sit vobis salutaris.

Her. Optatus ades: vnde adfers istam?

Geor. Ab Herrio.

Her. Quis te monstrauit eò.

Sc&A

C O N F A B V L A T .

Geor. Sectatus sum chantaras.

Her. Ecquam habet cursuram?

Geor. Satis frequentem.

Her. Infunde nobis, vt probemus quid valeat.

Geor. Porrigite suum quisque poculum.

Her. Syncera est video.

Geor. Nunc proba.

Her. Me hercle bona est.

Geo. Bibite strenue, est plena etiam nū coctura.

Her. Gaudeo.

Iodocus, Laurentius.

Iodo. **N**ON mihi satis faciunt hæ ampullæ, iubebo nobis afferri poculū grandius.

Lau. Heus Iodoce.

Iodo. Tu me vocasti?

Lau. Factum.

Iodo. Quid placet tibi?

Lau. Vt mihi huc afferas duo pocula paulō copaciora, quam sunt hi culluli.

Iodo. Hic sunt.

Lau. Apage te cum ista segnitie.

Iodo. Cur ringeris?

Lau. Quod tam purificata nobis proponis.

Iodo. Non sunt satis pura?

Lau. Tute inspice.

Iodo. Equidem proliueram tamen.

Lau. Vbi?

Iodo. Intus & foris.

Lau. Vis vt credam?

D

Cupis

PVERILES

Io. Cupio sanè.

La. Ablue denuò.

Io. Ista sordes abluì non possunt aqua.

L. Abrade igitur: nisi nitidissima noli reportare

Io. Quid si frangam, vbi occæpi radere?

La. Tibi prospice: nam nisi pocula integra per-
manserint hodie, tuę nates integrę non per-
manebunt craftino.

Io. Acerba commicatio.

La. Proinde caue tibi.

Melchior, Nicasius.

Mel. **D**Oceri cupio, sed citra iurgium.

Nic. Quicquid non sapit iocum, tibi iurgiũ
est.

Mel. Equidem ista, quæ mihi præcepisti, rectè
memini tamen.

Nic. Nempe de congressibus?

Mel. Nempe istud ipsum, nec sum tam hebes,
quam tu me facis.

Ni. Super est igitur, vt discas, quibus moribus
vtendum sit illi, qui conuiuij minister est.

Mel. Hoc volo scire, nam hac in re multũ pec-
catur.

Ni. Principio, hoc volo, vt memineris mini-
strum te esse conuiuij.

Mel. Meminero.

Ni. Proinde cogita, non cessandum tibi, post-
quam accubere conuiuæ.

Mel. Id scio.

Verum

CONFABULAT.

Ni. Verum vt tardum te esse nolo, ita nolo esse præcipitem: memor prouerbij, quod cum es- ses nouitius, edidicisti.

Mel. Quod istud est quæso prouerbum? nã in- ter tam multa, quæ didici, difficulter possum coniectare, nisi hoc vis, Festina lentè.

Ni. Istud ipsum.

Mel. Verum istud ipsum rectè memini.

Ni. Fac igitur (nisi dum tollis quid vel appo- nis) mensæ reuerenter assitas vsq; non tri- stis ac putidus, sed vultu retinenti ac hilari: non oculis humi deiectis, nec in quenquam conuiuarum defixis, sed placidè mobilibus ad omnes omniũ nutus, conuiuatoris ma- ximè tum ore neutiquam hiante, sed labris leuiter coniunctis.

Mel. Efficiam vt sim inculpatus, quantũ ad os attinet & oculos.

Ni. Benè spondes?

Mel. Re ipsa præstabo, videbis.

Ni. Nec si quid à conuiuis dicitur inconside- ratius, aduerte: nec, si quid sit inurbanius, obserua.

Mel. Idem vetuisti nuper.

Ni. Nam ad obscenos sermones prorsus volo- sis surdus, id quod sæpenumero admonui. Porro si quis quid vult, actutum suppedita. Euacuatos catinos amoue, pocula reple, sed non ad summum labrum.

D 2 Pauld

PVERILES

- Mel.** Paulò minùs faxo sint quàm plena.
- Nica.** Sic decet: circumspèctè tolle patinas, & appone, item circumspèctè.
- Mel.** Videlicet ne cui vestem iure perfundam.
- Nica.** Ita sanè. Cibum neq; prægustabis, neq; si quid latius superfuerit, abliguries.
- Mel.** Tace obsecro: istud me nuper coqua deducit.
- Nica.** Si quid à conuiuis offertur, verecundè recusabis: sin institerint, recipies, & paululùm digressus, vel comedes, vel sepones.
- Mel.** Cibos rarò, potum subinde offerunt conuiuæ.
- Nica.** Id si quando fit paululum liba, & repleto poculo, denuo restitue.
- Mel.** Non me iubes abluere?
- Nica.** Non est semper necesse: Verborum vide vt sis parcissimus: si quid respondendùm fuerit, paucis orationè absolue: vtrò verbū nullum proferas.
- Mel.** Multiloquium vt vitem documento mihi nuper fuit Egidius noster què hospites (quoniam loquaculum esse perspexerant) ad gariendū prouocare, digressum perstringebāt.
- Nica.** Missus à quoquam ad conficiendum negotium abire noli ni prius intellexeris, quid sit imperatum.
- Mel.** Quid si denuò rogitè, cùm intelleximùs.

Minus

Nica. Minus peccabis, si bis quæras, quâ si per-
uerse negotium conficias.

Mel. Quid superest, post tot præcepta?

Nica. Ut sordibus vaces toto quidem corpore,
sed facie, maximè & manibus.

Mel. Scitulus sim faxo & formulosus.

Orosius, Philippus.

Oro. Hæcine te reperio?

Phi. Haud alibi tanè quam hic.

Or. Dic sodes, ecquam hic exerces artem?

Ph Etiam.

Or. Quam quæso?

Ph. Seruilianam.

Or. Non intelligo, quænam sit ea.

Ph. Verro domum & cubiculum Heri.

Or. Quid facis amplius?

Ph. Concinnò lectum: struo ignem: apporto a-
quam: abduco herum & reduco.

Or. Audio,

Ph. Adorno mensam.

Or Dic cætera.

Ph Prudenti adstans, recito sacram lectionè.

Or. Tu quando prandes?

Ph. Vbi ipse pranderit.

Or. Quid esitas?

Ph. Quicquid sustuli.

Or. Quomodo potes tantum cibi condere in vnâ
alium.

Ph. Immò de quocunque lubet sumo quantum

D 3 *satis*

fatis est.

Or. Quis reliquias cæteras absumit?

Ph. In pauperes erogantur.

Or. Omnes ne?

Ph. Omnes.

Or. Etiam petasones & caro salita?

Ph. Nihil horum habet in ædibus suis.

Or. Unde vivitis autem, quæve sunt quotidiana alimenta?

Ph. Omnia recentia.

Or. Quis parat ei cibos?

Ph. Quid me censes?

Or. Qualis nunc scis nescio: olim certè nõ fuit te quisquam hebetius.

Ph. Hic me exacuit & erudiuit.

Or. Gratis?

Ph. Omnino: sed hac lege: vt ab illo nunquam discedam.

Or. Adeone stultus es, vt alicui te in perpetuam seruitutem tradas nullo præmio?

Ph. Ecquod magis præmium esperas, quam ego fero?

Or. Expone quod præmium feras.

Ph. Quoad viuam suppeditabit hic mihi alimoniam,

Or. Tu ne seruus pro alimonia tantum: vbi vestitus interis?

Ph. Idem præbet, qualem vides vestitum.

Or. Elegans me hercle vestitus.

C O N F A B V L A T.

Ph Si mortuus fuero ante ipsum, nihil mihi de fuerit rerum necessariorum, præsertim apud tam opulentum herum: sin ipse antè moriatur, meum fuerit quicquid habet.

Or. Quid si longus te morbus excoxerit?

Ph. Nusquam submouebit.

Or. Qui scis?

Ph. Vir bonus est, bonum dedit fideiussorem.

Or. Quem quæso?

Ph. Eū, qui reddet vnicuique secundū opera sua.

Or. Eum timeret?

Ph. Si quisquam alius.

Or. Interim istic tanquam in carcere perpetuū seorsitare debes.

Ph. Nonnunquam prodimus.

Or. Ad quos?

Ph. Ad concionem sacram, ad colloquium doctorum virorum.

Or. Nō tibi facultas euagandi datur aliquādo?

Ph. Non cupio modo, initio erat subacērbum.

Or. Interim nō frueris libertate faciendi quidlibet?

Ph. Quam tu vocas libertatem, mera licentia est: nam hic mihi benefaciendi nō deest vlla libertas.

Or. Sed ad præscriptum debes omnia facere.

Ph. Quo alioqui ruerem, nisi his tanquam septis coerceret: maximè cūm simus ad malum procliuēs omnes ab adolescentia.

D † **Quo**

P V E R I L E S

Or. Quo modo verò totum diem consumis citra tædium?

Ph. Istud volo, vt audias.

Or. Immò ego te oro, si non est molestū, vt mihi exponas.

Ph. Experrectus manè surgo prior.

Or. Quota hora?

Ph. Ferè citra quintá Excitatus igitur, sicut dixi, sine mora corpus erigo, signo me deinde crucis imagine cū his verbis Adsit Deus omnipotens, pater & filius, & spiritus sanctus.

O R A T I O.

Gratias tibi ago Pater cæli & terre, quod me hac nocte seruaris incolumen. Da quæso, vt totum hunc diem in timore tuo sic transigam, vt præceptis tuis nusquam deflectam. Amen.

O R A T I O.

Impartire nobis Domine Iesu Christe, spiritum sanctum tuum, qui vanas nostras cogitationes cohibeat, verba formet, emendet opera; vt digni inueniamur hæreditate tua cælesti, ad quam nos factus homo veniens vocare dignatus es. Amen.

Pater noster, Credo in Deum patrem, &c.

Or. Preculas istas rogo, vt mihi communices.

Ph. Non recuso: quid videntur?

Or. Piæ sanè & efficaces, si proferas ex animo.

Ph. Tales hærus meus edocet me.

Or. Laudo vtrunq; illum, quod te sedulò doce-

at: te,

at: te, quod illius doctrinam tam avidè demittas in animum.

Ph. Postquam sic me commendavi Christo: progredior, è cubiculo: exonero aliu: abluo manus, os, faciem, pecto caput: Deinde sumitur mihi liber in manus.

Or. Qualis primum?

Ph. Sacor: in hoc ad quartam partè horæ magis meditor quàm lego. Deinde recluditur, tum demum lego quoscunq; libros: sed illos potissimùm, vnde eloquentiã cùm prudentia simul hauriã.

Or. Quam diu versaris in ea lectione?

Ph. Quoad herus expergiscitur: nam hic, dum vestitur, operam do: mox rursus ad libros, donec horarum pensum absoluerit. Cùm facit sacrum, ministro, precor. Interea tempus appetit, vt & ventri prospiciatur. Ego sumpta pecunia ad forum prodeo, emo vel quæ iussit: vel quæ præsens copia suppeditat paro, prandetur. A prandio deambulamus foras, si qua necessitas est: sin minùs, noster hortus satis amplum spatiandi præbet locum. Post illa rursus vaco libris, vel negotijs: quanquã illa perquam rarò auocant me. Sub cœnæ tempus repeto culinam: momento temporis parantur omnia: cœnamus, fabulamur: sed ecastor non nisi sacras fabulas. Sicq; refectis animis pariter atq; corporibus ad cubiculum progredimur ipse quidem haud aliter quam si ea nocte sit

D 5 eme

PVERILES

emigrandum, sic certat precibus singultu, lacrymis. Ego, quoniã tã exercitatus non sum, quantã possum deuotione, illius diei admissa reputo: veniam peto, vt parcat per illius, qui se pro nobis impendit, misericordiã. Deũ Patrẽ obtestor. Postea precatiunculam subijcio.

ORATIO.

Domine Iesu Christe, miserere mei quãso: quia peccaui tibi, serua me deinceps ab omni malo, confirma me in omni opere bono: & noli me tunc reprobare, quando reddes vnicuiq; secundum opera sua. Amen.

ORATIO.

Inimice Diabole & tu Sathan insidiator adiuro te per nomen domini nostri Iesu Christi, vt hunc locum nunquam accedas. Amen.

Tunc demum consignatum corpus depono.

Or. Ita me magnus amet Iupiter, vt mihi vehementer arridet ista viuendi ratio, & si possum, cupiam imitari.

Ph. Possis quidem, sed ne desis tibi, si qua bene viuendi dabitur oportunitas: præsertim cum sit in dubio, quã diu simus hic victuri.

Or. Verissima loqueris.

Ph. Tu bene valebis, ego vocor.

Or. Opto te bene valere optime iuuenis.

Quadratus, Rubertus.

Qu. **¶** Cquis mecum audet disputare?

Ru. Ego audeo.

ERGO

C O N F A B V L A T .

Qu. Ergo para te, ocyus, vt mihi respondeas.

Ru. Hic sum, incipe si quid vis.

Qu. Vbi pedunt vuulpes?

Ru. Paululum supra poplites.

Qu. Quæ est litera robustissima?

Ru. O, quoniam equos sistit & plaustra.

Qu. Vbi est angustissima terra?

Ru. Vbi mare est amplissimum.

Qu. Vbi sunt omnes mulieres bonæ?

Ru. Vbi nulla est mala.

Qu. Quando est dies longissimus?

Ru. Cùm nox est breuissima.

Qu. Quibus arboribus nunquã defluunt folia.

Ru. Depictis.

Qu. Canis micturus cur pedem leuat alterum?

Ru. Ne permingat caligas.

Qu. Cur latrant canes?

Ru. Quod cantare nesciant.

Qu. Coniectàs herclé sat benè.

Ru. Corrige si quid fallo.

Qu. Quod hominum genus est iustissimum.

Ru. Potores.

Qu. Vbi coeunt flumina?

Ru. In mari.

Qu. Quis ager optimus?

R. Sine cultura ferax.

Qu. Quæ merx maximè necessaria?

Ru. Sal.

Qu. Quid lupum è saltu prolicit?

Fames

Ru. Fames.

Qu. Quod condimentum optimum?

Ru. Fames.

Qu. Vbi est diuinū adiutorium præsentissimū?

Ru. In periculis.

Qu. Quis est mulieribus maximè inuisus?

Ru. Qui formam illarum carpit.

Qu. Quod est à condito mundo verbū primū?

Ru. Fiat.

Qu. Cur natant pisces?

Ru. Adde alas, volabunt.

Qu. Quis fructus perniciosissimus?

Ru. Pomum, quod gustavit Adam,

Qu. Quis sermo auditu gratissimus?

Ru. Venite benedicti.

Qu. Cur velluntur anseres?

Ru. Si Lanigeræ essent, tonderentur.

Qu. Quæ vestis honestissima?

Ru. Quæ turpitudinem tegit.

Qu. Quod vestimentum optimum?

Ru. Quod frigus arceat.

Qu. Vbi præbent maximum lumen candelæ?

Ru. Vbi sunt tenebræ densissimæ.

Qu. Edoctus es, nolo tecum certare diutiùs.

Ru. Non sapis solus, id vides opinor.

Simon, Thimotheus, Grex.

Si. **E**Cquid placet præceptor obseruande, vt
nostros mores iam formes?

Ti. Peropportunè me hercle admones: nam ani-

C O N F A B U L A T .

**no iam sunt tranquillo, & temporis oppor-
tunitas hortatur, & loci.**

Si. lubes me residere?

**Ti. Immò resiste hic propter me, dum que volo,
dixero quiescite pueri, nemo vestrum com-
moueat se.**

Si. Non auditis, quid præceptor imperet?

Ti. Videtis hunc adolescentem pueri?

Gr. Etiam.

Ti. Scitis quid fecerit?

Gr. Minimè?

**Ti. Nuper prauos mores habuit, cùm vir quis-
piam alloqueretur eum, hos ego nunc corri-
gam, intellexisti.**

Gr. Callidè.

**Ti. Quid huic dicitur, idem omnibus vobis, di-
ctum volo.**

Gr. Tenemus.

Ti. Tecum loquor, responde mihi ritè.

Si. Prout potero.

**Ti. Notas virum, qui te nuper alloquebatur in
foro.**

Si. Antehac non memini me videre.

Ti. Quid dicebat tibi?

Si. Percontabatur me de varijs rebus.

Ti. De quibus?

**Si. De parentibus meis: de studijs, de sodalibus
quos in ludo habeo.**

Ti. Quid respondebas?

P V E R I L E S

Si. Sane quod mihi tum suggessit animus,

Ti. Alijs moribus vellem te fuisse usam.

Si. Quando?

Ti. Inter respondendum.

Si. Ille meos mores tamen non carpsit.

Ti. Scio, vir est honestus: sciebat illam rem ad te nihil pertinere.

Si. Si quid in me deprehendisti vitiosum emenda quæso.

Ti. Ita faciam, tu aures adhibe.

Si. Istud iam dudum facio.

Ti. Quoties præterieris senem, magistratû, sacerdotem, virum nobilem, virum doctum nuda caput ilicô.

Si. Faciam.

Ti. Sin tu sed eas alicubi, teq; talis prætereat, astito quoque, & genu insuper flectito.

Si. Meminero.

Ti. Porro, si tecum etiam loqui velle senseris, tum paululûm ipse progressus, ex aduerso consistite rectus.

Si. Licet.

Ti. Pileum inter manus contine.

Si. Teneo.

Ti. Compone pedes quoque.

Si. Faciam vt iubes.

Ti. Intende oculos subinde in eum, qui tecum loquitur.

Si. Subinde?

Ti. Sic aio.

QAA

CONFABVLAT.

Si. Quare non est mihi continenter adspiciendus?

Ti. Quòd sit impudentiæ signum.

Si. Intelligo.

Ti. Præterea debes flectere alterum genu.

Si. Alterum ne, an vtrunquè?

Ti. Alterum.

Si. Vtrum? dextrum an sinistrum?

Ti. Dextrum.

Si. Quoties me iubes flectere genu?

Ti. Idemdem.

Si. Istud quid sit non intelligo.

Ti. Quotiescunque responsum absolueris.

Si. Nunc scio.

Ti. Audacter responde, roga prudenter.

Si. Teneo.

Ti. Porrò verba omnia proferenda sunt tibi expressè, lentè, & articulatè.

Si. Quid si pudor me præpediat (vt fit sæpe) quò minus ausim, quæ volo, proloqui?

Ti. Non hic decet esse verecundum: si quando nequitia stimulat, tum debes erubescere.

Si. Rectè tu quidem: at ego mihi moderari vix possum, quin erubescam, præsertim si vit grauis quispiam alloquitur me.

Ti. Honestus est talis pudor, si non degeneret in verecundiam vitiosam, de qua tum fabulabimur quando per otium licebit.

Si. Quicquid placet tibi, idem debet nobis placere.

PVERIL. CONFABVLAT.

cere.

Ti. Quid vobis videtur pueri?

Gr. Qua de re?

Ti. Num satis estis instructi?

Gr. Abundè.

Ti. Quid restat igitur?

Gr. Vt horum semper simus memores.

Ti. Et vt præceptori vestro gratiam habeatis.

Gr. Gratias tibi agimus immortales, collaudatissime Præceptor.

Ti. Benè factum.

F I N I S.

